

Joachim Lütke­mann Franz Woken

Iudicii Metaphysici Minoris Disputatio Tertia De Entis Conceptu Abstractivo

Rostochii: Reusnerus, 1638


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729599485>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1638
Jochim Lippmann
Franc. Woken(ius)





JUDICII METAPHYSICI
MINORIS

C. 2

DISPUTATIO TERTIA

DE

ENTIS CONCEPTU
ABSTRACTIVO.

Assistente cœlesti Numine,

Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,

In inçlytâ Academiâ Rostochiensî

placido Examini subjecta

PRÆSIDE


M. JOACHIMO LUTKEMANNO,

Demminensi Pomerano,

RESPONDENTE

FRANCISCO VVOKENIO

COSLINENSI POMERANO.



*Ed. Collegio Unicornis Die 4. Aprilis
Horu Pomeridianu.*



ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XXXVIII

1638

JUDICIALIUM
MORALIUM
DIPLOMATIUM

ENTIS CONCEPTU
ABSTRACTIVO

M. JOACHIMUS LUTKEMANNUS

FRANCISCO VORLESUNG


ROSTOCKIA
L. JOHANNES LUTKEMANNUS

ANNO MDCCLXXXIII

DE ENTIS CONCEPTU ABSTRACTIVO.

§. I.

Subjectum Metaphysicæ diximus Ens esse, cujus theoriam nunc proponimus. Etymologia Entis juxta Prisc. l. 18. est à verbo Sum, es; sicut potens formatur à possum, potes. Homonymia Entis multiplex est. Latissime sumitur pro eo, de quo aliquid affirmativè per verbum EST enunciari potest; ut tenebræ sunt in aere, cæcitas est in oculo. Strictissime sumunt bifariam, vel pro solo creatore, vel pro sola creatura. Deum solum Ens dicant, quod sit immutabilis habens vitæ interminabilis possessionem totam simul & perfectam; qui solus dicere possit: Sum qui sum. Creaturæ aut nondum sunt quod erunt, aut quod sunt aliquando non fuerunt, nec erunt. Hinc patrum ille Deus Augustinus, Deum nostrum ita alloquitur l. 7. *confess. c. 10. Tu es Deus meus tibi suspiro die ac nocte: Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse. quod viderem, & nondum me esse qui viderem. c. 11. Et inspexi cetera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse; esse quidem quoniam abs te sunt, non esse autem, quoniam id quod es, non sunt: Id enim verè est, quod immutabiliter est.* Huc quoque respicit elegans pronunciarum illud Marfilij Ficini *Ennead. 1. l. 8. in Plotin. c. 3. Non Ens aliquando dici pro eo, quod non est verè Ens (i. e. quod imperfectum est) aliquando verò pro eo, quod est verè non Ens.* Contra considerando concretivam significationem Entis, creaturam solam Ens dicunt, Deum essentiam. Strictè quoque Ens sumitur quando ex rebus & verbis efflorescere oratio dicitur: alioquin etiam verba res sunt sive Entia. Propriè Ens vocatur quod veram realem & positivam habet Essentiam. Distinctiones Entis latissime sumti hæc sunt:



§. 2. De Ente rationis agitur in disputatione peculiari. Divisio Entis realis in Ens per se & per accidens est diversa ab eâ, qua Ens dividitur in substantiam & accidens. Nam ipsum Ens per se, dividitur demum in substantiam & accidens. Neq; enim per se esse hic opponitur inhærentiæ, ut fit in descriptione substantiæ; sed compositioni accidentali. Dicitur n. Ens per accidens potissimum ratione unionis & compositionis; & est *concretum ex rebus Essentia diversis sine naturali ordine*, ut equus albus, est Ens per accidens, quia equus & albedo sunt diversorum generum: exercitus est Ens per accidens, quia partes constituentes exercitum non habent inter se naturalem ordinem. Hujus explicatio plenior tradetur tum cum unitatem rerum considerabimus. Alias etiam Ens per accidens dicitur ratione causarum & productionis, id quod causas habet fortuitas; ut monstrum est Ens per accidens quia generatur casu. Ens participiale dicitur illud *quod actus est in mundo: Nominale quod est possibile, siæ existat sive non*. Participia enim denotant actus suorum verborum; nomina præscindunt ab actu & potentia. Studiosus dicitur qui otatur, sed non studens. Homo sive productus sit sive producibilis sine repugnantia homo dicitur. Entia rationis & Entia per accidens ut non sunt per se Entia, nec per se sub scientiam cadere, confecimus Disp. 1. §. 7. Nominale autem ut realiter, & positivè Ens est, & per se unum; ita illi quod per se scibile est, includendum est omnino, ut in Disputatione sequenti fusiùs cognosci dabitur.

§. 3. Synonymæ voces Entis vulgò habentur Res & Aliquid: quod ut de Re largior; de Aliquo nego. Nomen rei nonnulli cum Armando de bello visu tract. 2. de term. 14. deducunt, vel à ratum, quod idem est quod firmum; & hoc respectu Rem dici volunt duntaxat de Entibus realibus, quæ habent firmam & realem Essentiam: vel à reor, reris; quod verbum cum importat actum intellectus & rationis, hoc intuitu Rem etiam de Entibus rationis dici volunt. Sed absq; suffragio Grammaticorum id dicitur. Perit hæc notatio in his: Quid rei Musis est cum Marte. i.e. quid negotij: quam ob rem. i.e. causam & alijs. Aliud c. vera derivatio, aliud allusio. Dicitur autem Res quandoq;

de

de omni re conceptâ in animo, siue ita extra mentem se habeat, siue non: ut ita & in voce Entis & in voce Rei æqualis relinquatur æquivocatio. Nec præterea quicquam in re cernis, quod in Ente desideres: ut ita nihil impediatur *Rem dicere Synonymum Entis*, ni forsan quempiam moveat, Reale non idem esse cum Essentiali. Sicut enim quia albedo est color, omne album rectè dicitur coloratum, ita si omnis Res Ens, omne etiam reale erit Essentiale. Atqui discrimen trium Trinitatis personarum est reale, non tamen Essentialis. Inhærentia accidentis itidem est realis, non autè Essentialis. Nos discrimen inter reale & Essentialis libenter agnoscimus; Reale n. est quod hoc vel tale quid vera est non per fictionem aut imaginationem; Essentialis quod Essentiam vel consequitur vel fit ratione alicujus Essentiæ particularis: ut loquela homini realis est & Essentialis. Unio corporis cum anima realis est simul & Essentialis: unio contra duarum naturarum in Christo realis est, non Essentialis: quia terminus ad quem nõ est una particularis Essentia. Discrimen autè illud dependere ex discrimine significationis in vocibus Rei & Entis, ut credamus nondum sumus persuasi: ut frustra inde colligas, Ré esse latius quid Ente, quia reale latius Essentiali. Imò si ex voce derivatâ judicandum de significatione simplicis, res non magis de rationis Entibus dici potest, quam reale. Atq; si reale actualitatem involvere videtur: ut cum realiter doctum voco, qui actu doctus est; non video quomodo Ens in potentia Res dici queat. Adeo ex derivatione nihil firmiter concludendum.

§. 4. Aliquid juxta Armandum de bello visu tract. 2. de term. c. 23. idem sonat quod aliud quid. Verum si id vox aliqua significat, quod eâ auditâ illicò ab intellectu concipitur, hæc significatio nulla est. Quis enim auditâ voce aliquid, mente concipit aliteratem. Inefficax omnino est argumentum quod à derivatione & etymologia ducitur ad significationem vocis. Aliud sc. vocis allusio, aliud derivatio, aliud significatio. Latro à latere dicitur, latrones autem olim vocabantur, qui hodie stipatores. Lapis dicitur quasi lædens pedem, sed id non significat. Confer Corn. Met. p. 96. Rectius Scheibl. l. 1. Met. c. 2. artic. 3. ex Suarezio & Fonseca Aliquid dici statuit, tanquam habens aliquam quidditatem:

tatem: modò quidditatem latissimè extendas ad conceptum quemvis. Distinguendum quoq; ñ Aliquid transcendentale, ab eo quod est purè syncategorematicum: ut aliquid monstri alit. *Quantum autem aliquid transcendentale distet ab Ente*, disci potest ex opposito *Nihilo*, cum quo æque latè patere debet, sunt enim contradictoriè opposita nõ minùs quam Ens & non Ens. Aliquid igitur tantum distat ab Ente, quantum nihil à non-Ente. Hæc autem quantam admittant distinctionem ex hoc patet: Nihil est Deitate melius; si idem id erit cum illo: non Ens est Deitate melius, falsum esse qui non intelligit, sanè nihil intelligit. Possem enim subsumere: Peccari *à ræxiæ* est non-Ens. E. per te esset Deitate melius: *Dices* eodem modo te posse sub nihilo subsumere. *Resp* negando. Quicquid enim subsumes, necessariò aliquid erit; quod adeo verum est, ut si ipsum nihil subsumeres, nihil non esset nihil, sed aliquid, esset enim objectum nostræ cognitionis. Non itaq; sunt optimæ notæ hæc illationes: Aliquid hodie id vocatur quod non est nihil. Nihil autem est non-Ens. Itaq; Aliquid erit Ens: *Corn. Mart. Met. p. m 97. item*: Nihil est nullum Ens, nulla res, E. Aliquid est aliquid Ens, aliqua res. Cum per conversionem demum fiat formalis, Consequentia ita: Omne nihil seu omne nõ aliquid est non-Ens. E. quoddã non Ens est nihil sive nõ Aliquid. Contrà hæc nostra illatio optima est: Quoddã non-Ens nõ est nihil: ut peccari *à ræxiæ*. Neq; n. Deus ob peccata homines puniens, ob nihil eos punit. E. quoddam quod non est Nihil, i. e. quoddã aliquid est non-Ens. Et consequenter non omne aliquid Ens: Hæc n. illatio eadem est formaliter cum illa: Quomodo non est Philosophus. E. quidam qui non est Philosophus, est homo. Præterea notissimum est illud principium Metaphysicorum: quodlibet est vel non est. Ubi cum quodlibet dividunt omnino aliquid dividunt, non nihil. Neq; enim Ens poterit esse species Nihili. Si igitur aliquid quod hic dividitur in Ens & non-Ens tu velis acceptare ut Synonymũ Entis, quomodo effugies contradictionis notam, si quoad posterius membrum dixeris: Aliquid est non-Ens. Est scil. non-Ens ut ipse dicis; & iterum Ens, quia per te omne aliquid est Ens. Aliquid igitur *id omne est, quodcunq; est objectum nostræ cognitionis, sive id Ens sit sive non-Ens*. Imò ipsum nihil, quatenus de ipso cogitas, est aliquid: ut non omninò absurdus

fit *Templerus*, quando *l. Metaph. c. 2. q. 1.* ita scribit: *Sunt duo summa genera eorum, quæ dicuntur intelligibilia, quorum unum complectitur ea, quæ per se, hoc est, per propriam notionem sunt intelligibilia: alterum eorum quæ per accidens, hoc est, per notionem alterius sunt intelligibilia: Atque ad hoc posterius genus etiam Nihil, omnesque privationes & negationes referuntur.* Dices aliquid aut *Ens* est, aut non *Ens*, quia inter *Ens* & non-*Ens* non datur medium. Si *Ens*, non affirmabitur de non-*Ente*. Si non *Ens*, nunquam prædicabitur de *Ente*. Respond. Aliquid in generalissimo suo conceptu nec *Ens* est, nec, non-*Ens*, sed præscindit ab utroque; non minus ac *Ens*, in se nec accidens est, nec substantia, sed ab utroque præscindens.

§. 5. Cæterum, cum Aliquid latius se extendere quam *Ens* dicimus, non statim Regem conceptuum & scibilium constituimus, quasi esset prædicatum Essentiale summum; sed hunc honorem *Enti* offerimus ipsi. Neque enim aliquid est quid abstrahibile ab *Ente* & non *Ente* per prædicatum Essentiale, sicut *Ens* abstrahitur à substantia & accidens: sed per relationem & denominationem duntaxat extrinsecam, sc. intelligibilitatem. Aliquid abstractivè parit quidem conceptum formalem in mente; sed isti non responderet aliquis conceptus objectivus realis extra mentem in rebus, veram realitatem habens in *Entibus* & non *Entibus*. Confer *Disp. nostræ 2. §. 16. Disp. 1. §. 7.*

§. 6. Antequam hinc abeamus, diluenda est illa opinio *Rhædi*, quam habet in *Pervigilij Mercurij* appendice de *Nihilo* th. 6. Aliquid sc. esse individuum vagum, demonstrans rem particularem, non minus ac aliquis particularem denotat hominem. Estque juxta *Rhædum* compositum quoddam ex *Ente* & ipsa particularitate. Atqui vero debebat distinxisse inter Aliquid adjectivum, & Aliquid substantivum seu ut *Armandus de bello vi-* fu inquit *tract. 2. de term. c. 23.* adjectivum substantivatum. Aliquis & aliquod, Adjectiva, sumuntur vagè: ut omnis homo est aliquis homo: Homo est aliquod animal. Aliquid substantivum sumitur transcendentaliter ut: Animal est aliquid; chymæra est aliquid: Si autè verum esset, quod *Rhædus* ait, Aliquid esse individuum vagum, ipsum *Ens*, cum non sit *Ens* particulare, non esset ali- quid sed nihil: quia inter aliquid & nihil non datur medium. Hunc

Hunc ictum declinare laborat tali effugio Rhædus: Ens non est aliquid i. e. hoc aliquid digito monstratum, καὶ ἀειδμον. Siquidem si res omnes in numerum conjiciamus, Ens ipsum omittere oporteat. Nec enim dicendum est, omnia quæ sunt esse aut substantias aut accidentia, aut ipsum Ens; sed omnino esse aut substantias aut accidentia. Quia Ens non est de numero Entium. Est tamen Ens aliquid καὶ εἶδος. Habet enim quandam essentiam & definitionem sibi propriam. Verum incidit Rhædus in ictum, fugiendo eundem. Incautus quippe fatetur hoc ipso, aliquid transcendente differre ab individuo vago. Et quid multis; Dicendo Ens, sive hoc vel illud est aliquid, nemini in mentem venit notari individualitatem; sed illud de quo sermo est, esse quicquã cadens sub intellectum; quod nos formale alicujus in ejus descriptione posuimus.

§. 7. Essentia synonyma numerantur tria ab Armando de bello visu tract. 2 c. 32. Quidditas, natura, substantia late sumta. Sicut enim animal dicitur esse de substantia, natura, quidditate & essentia hominis; ita color similiter dici potest esse de substantia, natura, quidditate & essentia albedinis. Hæc quatuor, juxta eundem Armandum c. 37. in hoc conveniunt, quod significant unum quid realiter, quod per definitionem importatur. Differunt autem quod aliã atq; aliã ratione id significant. Quia inquit, Substantia hoc significat, in quantum ex hoc tota natura rei integratur, & per oppositum quicquid est extra naturam rei, accidens dicatur. Natura autẽ idem significat in comparatione rei ad intellectum: quia natura rei nõ est intelligibilis nisi per definitionem. Ideoq; essentia natura dicitur, in quantum capi potest ab intellectu: vel juxta alios, natura dicitur eadem essentia per ordinem ad operandum. Essentia autẽ hoc idem significat per comparationem ad esse: Quidditas vero, in quantum ad quæstionem factam per quid, convenienter responderetur per ipsam definitionem. Sunt qui distinguunt inter essentiam & Entitatem; Essentiam aiunt esse Entis positivi; Entitatem autem esse Entis tam realis quam rationis. Sed si placet excogitare, aliquod abstractum quod commune sit, Enti reali & rationis, rectius id vocabis quidditatem, quam Entitatem; cum Ens rationis proprie sit aliquid non minus quam Ens reale; sed non ita proprie Ens. Juxta com-

communem tamen loquendi modum Entitas ab essentia ita
 differt: *Entitas* est quasi abstractum & forma Entis in abstractivo
 conceptu. *Essentia* est id quo res secundum se definitur in propria sua
 natura: sive est id quod omnium primo de re concipitur, non repugnans
 existere. Atqui sic cum natura, essentia, quidditate, substantia, ra-
 tione seu definitione unum idemq; denotat: quæ voces etfi va-
 ria apud varios habent significata: expriment tamen & hanc
 quam posuimus essentia significationem. Diximus autem essen-
 tiam esse id quod omnium primo concipitur, non primitate ori-
 ginis, cum prius cognoscuntur accidentia sensilia, quam defini-
 tio; (cognitio enim incipit à sensibus) sed ordine dignitatis, id
 sc. quod omnium primo intrinsecè esse rei cõstruere, vel confusè
 vel distinctè deprehendimus. Propria autè essentia rei id semper
 vocatur, quo nihil in ista re prius, nihil non posterius, unde fluit
 quicquid proprietatum fluit. Huc pertinet distinctio essentia,
 quam proponit Cornel. p. 355. Quod essentia dupliciter acci-
 piatur, aliquando *ut quod*, aliquando *ut quo*. Essentia *ut quod* signi-
 ficatur per nomen concretum, sicuti Socrates, homo, animal.
 Socrates enim est quædam essentia, quâ Socrates est Socrates, &
 homo est quædam essentia in Socrate. Essentia *ut quo* significatur
 per abstractum, ut animalitas. Ratione enim ab animali abstra-
 hitur animalitas, per quam animal est animal, sicuti per huma-
 nitatem homo est homo.

§. 8. Satis hucusq; de vocibus. Sequitur ut ipsam Entis in-
 dolem investigemus. Notamus *ILLI omnium specierum Entis con-
 ditio infallibilis, habere conceptum formalem in mente, objectivum in re-
 bus extra mentem: ita ipsius Entis indeterminati datur aliquis conce-
 ptus, qui positivè & formaliter est in intellectu, objectivè autem in rebus.*
 Hoc dicendorum fundamentum est. Per hoc enim reale Ens ab
 Ente rationis dignoscitur. Per hoc superioritatem & generalita-
 tem conceptui *Alii* us paulò ante denegaverimus, Conce-
 ptui *Entis* autem tradidimus. Hoc qui intelligere vult, observare
 debet, *tribus modis aliquid esse in intellectu. i. subjectivè; vocatur
 Conceptus formalis, & est idea vel imago in intellectu, ex-
 pressa a cognitionis objecto. Dicitur formalis, quia habet se instar
 formæ accidentalis, quæ menti inhæret. Comparatur imagini,*
quæ

B

quæ est in oculo vel etiam speculo. 2. Est aliquid in intellectu *ob-*
jectivè : vocatur Conceptus objectivus, & est ipsum obje-
ctum per conceptum formalem cognitum. Dicitur autem ob-
jectum illud, conceptus seu aliquid ab intellectu conceptum,
sicut paries dicitur visus, i.e. per denominationem extrinsecam.
Sic color qui *subiectivè* est in colorato, *objectivè* est in oculo.
Tertiò aliquid in mente est *subiectivè tantum*, quod à mente concipi-
pitur ac si esset, sed extra mentem in re non potest esse : ut sunt
omnia Entia rationis. Vocatur Cōceptus *subiectivus tantū*,
quia imago de non Entibus *subiectivè tantum* est in mente, ex-
tra mentem non habet objectum reale ipsi respondens, nec po-
test habere. Ita conceptus de Deo ligneo in mente, quia *sub-*
jectivè inhæret, aliquid est; sed conceptus objectivus, qui *sub-*
jectivo extra mentem respondere debebat, & non respondet :
qui existere non repugnare debebat, & repugnat, non-Ens est.
Cornel. Martini p. 68 hunc conceptum vocat *objectivum consequen-*
ter, respiciens notiones secundas artium, quia hæ consequuntur
naturam rei, quatenus objicitur intellectui; nec rebus ex sua na-
tura conveniunt, sed quatenus intellectui representantur
qui circa eas negotiatur. Ut homini, non sua natura absque
operatione mentis, sed quatenus circa illum negotiatur mens,
convenit esse subiectum, prædicatum, majorem, minorem, vel
medium terminum. Ex dictis constat qui *conceptus* sint *reales*, qui
non. Realis sc. ut sit, requiritur ut extra mentem fundetur in ob-
jecto aliquo reali, quod existere non repugnat. Hæc itaq; con-
ditio Entis perpetua, habere conceptum objectivum extra for-
malem. Operari autem, & habere affectiones, quæ alij ponunt essendi
indicia, *non sunt essentia conditiones perpetuæ*. Nam non datur ope-
rationum operatio, & affectionum affectio in infinitum. Opera-
tio tamen ultima, & affectio quæ excogitari potest ultima, ha-
bent essentiam. Imò quoq; quantitas à potissimis Philosophis ne-
gatur actuosa, qui tamen essentiam ei non detrahunt.

S. 9. Notamus 2. *Ens non esse concretum ex distinctis essentiis,*
ex genere & differentia, ex subiecto & abstracto; adeoq; non admittere
definitionem realem quæ distincta sit, & à priori. Non concretum ex
distinctis essentiis, evidens est, quia unaquæq; istarum essentialium,
quæ Ens componerent, cum Ens esset, ex iisdem essentiis esset

composita, quod summè, contradictorium. Ens prædicatur de
 simplicissimo quovis. Ideo minime involvet compositionem
 aliquam. *Ens non componi ex genere & differentia*, statuimus contra
 Timplerum, qui l. 1. c. 3. q. 1. statuit: Ens habere genus, nempe in-
 telligibile & Aliquid. Quem Scheibl. l. 1. c. 2. tit. 2. hoc funda-
 mento refutat, quod de nullius speciei differentiâ debeat præ-
 dicari illius speciei genus: neq; enim rationalitas dicitur animal.
 Nulla autem differentia potest excogitari, quæ addita Alicui
 & intelligibili constituat Ens, de qua non possit prædicari aliquid
 & intelligibile. Equidem id firmissimè obtinet hoc argumen-
 tum, Aliquid non esse genus prædicamentale rigorosè sumtum;
 esse autem genus analogicum, conceptum sc. communiorem de
 pluribus prædicabilem in quid: nondum vetat; Sic enim funda-
 mentum positum non universale est. Nam inhærentia est diffe-
 rentia accidentis, de qua prædicatur ipsum Ens, quod accidentis
 quasi genus est. Nos volumus considerari 1. Aliquid non esse con-
 ceptum quidditativum & essentialem, esse duntaxat accidentalè.
 Cõfer Disp. 1. §. 7. Aliquid igitur nõ magis potest esse genus Entis
 quam album, nivis. 2. Essentiã, quæ quasi differètia cõjuncta cum
 Aliquo Ens constituit, non posse obtinere analogiã differentia,
 quia impossibile est id, quod per differentiã constituitur, prædi-
 cari de ista differentia constituyente. *Dices*. Inhærentia est diffe-
 rentia quæ Enti addita constituit accidens. Accidens autè prædi-
 catur de ipsa inhærentia. Inhærentia n. aut accidens est aut substã-
 tia. & Inhærentia non est accidens nec substantia Neq; n. est no-
 va res, novum Ens ab Ente inhærente distinctũ, sed Entis modus.

§. 10. Dicimus quoq; *Ens non esse concretum ex subjecto &*
abstracto. Quia nullum in Ente subjectum excogitari potest sal-
 tem ratione ab essentia distinctum. *Dices*: Subjectum esse An-
 gelum, hominem, bovem, lineam, albedinem, & aliãs Entis spe-
 cies: cum quibus essentia, tanquam formale abstractum Entis,
 concurrens constituit Entia: Eodem modo, quo subjectum albe-
 dinis non potest unico exprimi vocabulo, quod est cutis, dens,
 paries, nec non infinita alia. &c. Id non evincit, Ens in abstractivo
 & simplicissimo conceptu concretum esse, habens subjectum &
 abstractum; sed Entis species: quamvis nec de his id universale
 est.

est. Reperies enim qui negant Deum concretivum Ens dici, quod sit concretum ex subjecto & essentia. Quod ego tamen tibi largior, modo rectè intelligas. Concretum enim dupliciter dicitur, vel quod est compositum ex rebus realiter distinctis, ut animal & rationalitas cum constituunt rationale seu hominem; paries & albedo cum constituunt album: vel concreta etiam dicuntur quæ constant diversis cõceptibus realiter non differentibus. Sic ratione id quod peculiare in Deo est, potest distingui ab eo, quod omnibus Entib. est commune. At in simplici Entis conceptu ne subjectum quidè potest excogitari. Post abstractam albedinem relinquitur subjectum; post Entitatem abstractam ratione in Deo à spiritualitate, infinitate & attributis alijs, relinquuntur illa attributa, sed post abstractã realitatem & essentiã ab Ente nihil omnino relinquitur reale, quod saltem cogitatione cognosci possit. Dices: subjectum est Aliquid, quod conjunctum cum essentia, aliquod concretũ constituit, puta Ens. R. Aliquid nõ est conceptus essentialis & realis, sed accidentalis & respectus extrinsecus qui etiã fundatur in non-Ente. Nam objectũ esse cognitionis non dicit quidditatẽ, sed quidditatis, Entis vel non-Entis affectionem. Aliquid itaq; nõ est subjectũ. Relinquitur igitur in simplicissimo & abstractivo Entis conceptu, essentiã seu Entitatem planè idem esse cum Ente; in speciebus autè essentia sumi potest abstractivè, & Ens dici potest connotare subjectum. Nihilominus sicuti in cæteris transcendentibus transcendentia concreta vocantur, quæ de omnibus in nominativo casu enunciantur; Abstracta quæ omnibus insunt; ita per aliquam analogiam Ens quasi concretum dici potest; essentia, sive Entitas, abstractam: ut Ens sit quod non repugnat existere; Entitas, ipsa non repugnantia.

§. II. Quartum quod ponebamus in nota secunda erat: *Ens non posse defini.* Certissima & omnibus notissima est absurditas rem quamlibet velle definire per genus & differentiam: Daretur enim Generis genus in infinitum, infiniti darentur rerum gradus semper atq; semper communiores, imo quodlibet Ens constaret ex partibus actu infinitis. Ideoq; necesse est intellectum nostrum res definiendo subsistere in uno aliquo conceptu reali primo & generalissimo; qualis est Entis. Certissimum itaq; est, Ens non defini per genus & differentiam, quæ ei & antea de-

negavimus. Nec potest definiri à priori simpliciter, quia de Essentia Definitionis est explicare rem per conceptus priores. Jam non datur conceptus realis prior & generalior Ente; nec datur quicquam in cognitione distincta notius. Est enim ibi primum cognitum. Nihilominus potest definiri per aliquam descriptionem, quæ cum Ente convertitur.

§. 12. Hisce notis præmissis tentabimus per definitionem qualemcumq; Entis venari essentiam. Definitur Ens positivum à nonnullis, *id quod habet essentiam*. Hæc definitio malè audit hoc nomine, quod tautologica sit, cū n. ipsa essentia Ens est, ipsa essentia juxta definitionē Entis habebit essentiā. Verum videtur adhuc liberari posse ab hac infamia, si dicas, q̄ similiter ut definitionis datur definitio, ut quidditas habet quidditatem, neq; n. quidditas cum quid dicitur, non absq; quidditate ita dicitur; ita etiam essentia absq; absurditate & tautologia dicitur habere suam propriam essentiam, naturā & definitionem, quæ est non repugnans. Non tamen absolutè bona est, saltem ideo, quod habere essentiam denotet subjectum cum essentia conjunctum. Sed Ens ita dividi præ simplicitate nimia non posse supra ostendimus. Ens quidem participiale & Entis species rectè dicuntur habere essentiam, quia in illis dari potest subjectum saltem ratione distinctum ab essentia, tanquam habens ab habito, sed id nequit dari in simplicissimo & abstractivo Entis conceptu.

§. 13. Alij definiunt Ens, quod *possit esse in rerum natura à citra menti operationē & cogitationem*. *Obijcitur*. Per hanc definitionem excluduntur 1. Cogitationes, conceptus formales & habitus mentis quæ sunt entia realia, quia ut qualitates reales, sive realiter inhærentes, esse suum in mente habent, nec possunt esse extra mentem. 2. Excluduntur Entia actu: & solum constituuntur Entia realia, quæ sunt in potentia. 3. Entibus realibus annumerantur privationes. *R.* ad 1. Cogitatio & omnia quæ sunt in mente, omnino possunt esse citra cogitationem, puta reflexam: i. e. possunt esse, etiamsi tu non cogitas ea esse. Ad 2. Aliud est posse esse, aliud est esse in potentia. Hoc excludit actum existendi. Illud actum non includit nec excludit, sed dicit non repugnans: ut dicere liceat, etiam cum sol actu movetur; sol potest

moverii. e. non habet repugnantiam ad motum. ad 3. Privationes non sunt extra mentem per aliquid positivum reale, & concipiuntur à mente non per aliquam speciem realem, quam nullam habent, sed per speciem privationem.

§. 14. Veruntamen cum Ens sit quicquid ponas in definitione Entis affirmativà, evidentius & melius Ens definire non possumus, quam negativè, ita: *Ens est, quod non repugnat existere.* Sive *Ens est quod nō habet predicata sese invicē destruentia.* Neq; enim illa solum Entia realia & positiva agnoscimus, quæ actu sunt in mundo, sed quæ esse vel per ordinariam vel per absolutam potentiam nihil impedit, id quod demonstrabimus Disputatione proxime sequente. Entia itaq; sunt: *Mons aureus, hircus, cervus,* quia neutrum existere repugnat, illud etiam per potentiam ordinariam, hoc vero per absolutam, eandem sc. virtutem, quâ potuit in unum suppositum uniri divina & humana natura Christi. Contra non-Entia sunt, *Deus creatus, Deus ligneus, homo sive anima, homo irrationalis,* quia contradictionem involvunt.

§. 15. Est autem hæc definitio à non repugnantia, non eadem cum illa Rhædi, quam proponit in pervigilio Martis de Ente, quod *Ens sit, cujus essentia constat terminis nō repugnantibus sibi.* Neq; enim non repugnantia idem est cum cōsensu terminorum. Consensus & amicitia requirunt ad minimum duos terminos: non repugnantia etiam est in simplicissimo conceptu. In lapide est potentia & non repugnantia ad hominem; durum tamen erit auditu in lapide esse consensum & amicitiam cum homine. Quamvis itaq; nihil Entis appellationem effugiat, cujus termini essentiales consentiunt, non tamen *omne id, quod Entibus accensetur, terminorum essentialium consensu gaudet.* Quod evidentissimum est, si de realibus terminis sermo est: Difficiliter enim eos mihi dabis in Entibus simplicissimis & eorum differentiis ultimis. Hos etiã si dederis, istorum ipsorum terminos essentialia postulabo; & horū rursus alios, tamdiu donec ambo, ego postulãdo, tu dando, defatigabimur. Et hic defatigatus, recollectis viribus non cessabō instare: Monstra sis quæso duos terminos reales in ipsa Entitate. Hos ubi monstraveris auro inscriptos posteritati tradam. Si per terminos essentia intelligis definitionem seu qualemcumq; descri-

descriptionem, quā nulla prior est, quo modo & simplicissimis sua est essentia: largior Entium esse hoc sensu terminos essentialis: sic enim non repugnantia ad essendum juxta nostram definitionem erit terminus essentialis Entis & essentiae. Imò & hoc addo in Entium speciebus quibusvis, quoniam ad minimum constant Entitate & naturā aliquā determinatā Enti superadditā, dari consensum inter duos terminos differentes saltem ratione seu modaliter, Ente sc. & nomine determinatæ naturæ proprio. Sic ex Entitate & (quod cum venia Grammaticorum dico) perfectitate componitur substantia, ex Entitate & infinitate Deus. Sed nondum video, (revertendo ad prius positum) quomodo illa qualiscunq; descriptio si vocetur terminus essentialis consensum dicat talem, quæ sit relatio realis, in prædicamento relationis. Si dicis, definitionem & definitū esse distinctos terminos consentientes; dabo esse distinctos quoad voces, quoad rem distinctos esse negabo. Offendere debebas terminorum consensum in ipsa definitione. Alioquin etiam privationum definitiones consentiunt cum suo definito. Sed ut concludam, quicquid sit de hac questione; *An in quovis Ente & ipsa etiam essentia possit inveniri terminorum consensus & amicitia.* Constante nego, *concordiam terminorum* constituere propriam essentiam Entis, quod uti lis causa est non-Entis, ita amicitia liti opposita Entis forma sit ac anima. Nam 1. Non repugnantia prior est consensu 2. Absolutum non definitur per relatum. 3. Cogitans aurum Ens esse, ad consensum terminorum non vertit mentem. Id autem est propria essentia rei, ut supra dicebamus §. 8. quod omnium primò de re concipitur. 4. Consensus aut Ens est, aut non-Ens. Si non-Ens, nequit dare essentiam Enti. Si Ens. E. Ens per Ens, idem per seipsum constituitur. Frustrà itaq; disputat Rhædus ex hoc falso postulato, *Ens esse de numero eorum quæ sunt in prædicamento Relationis.* Quam controversiam legere cui volupe est, adeat acutissimos Philosophos, Rhædum, qui eam movit in pervigilio Martis à 1h. 7. usq; ad 26. Et Arnisæum, qui Rhædum refutavit in peculiaris tractatu p. 145.

Ens,

ENS, *Aliquid quisquis bene scit, quid nescit? Id omne
Ens est aut Aliquid, quicquid in orbe vides.
Ens, aliquid quisquis male scit, quid novit? Id omne
Ens est aut Aliquid, quicquid in orbe vides.
Ens Aliquid calles, WOKENI, perge scienda
Quærere; quod quæris Ens erit aut Aliquid.*

*In gratiam dilecti sui Sympatriotæ
ita ludebat*

M. JOACHIM LUTKEMANN
Præses.

NON nihil est, fateor, spaciofi climata mundi
Lustrare in tabulis effigiata, simul.
Et, puto, svave fiet, Nochæ quæ viderat ætas,
Hæc uno obtutu singula perspicere.
Latius at quanto summi patet ambitus Entis,
Æquò complectens infima, summa, gradu.
Hoc ubi, quâ par est, jam sedulitate rimaris
WOKENI, grator, digna bravea feres.


*Præstantissimo Dn. Resp. Amico suo
gratulab. deprob.*


M. JOHAN. MICHAELIS
Stralsfund. Pomer.

EXimia est duro qua Marte paratur & Armis
Gloria sed major arte petita venit.
Hoc opus hic labor est, studiorum ferre labores.
Qui facit ille sibi præmia digna parat.
Rectè agis ergò, tibi, quod Palladis arte WOKENI
Conspicuum nomen reddis in orbe tuum.
Dum non bella moves fera Martus, sed mage bellum
Certamen Sophia gnabius inire cupis.
Pergito in hac mentem porrò exercere Palestra
Impiger, & studij grata bravea feres.

L. m. scripsit

NICOLAUS von Puckamer
Eq. Pomeranus.






negavimus. Nec potest definiri a priori simp-
sentia Definitionis est explicare rem per conc-
non datur conceptus realis prior & generalis
quicquam in cognitione distincta notius. Est
cognitum. Nihilominus potest definiri per al-
nem, quæ cum Ente convertitur.

§. 12. Hisce notis præmissis tentabimus
qualemcumq; Entis venari essentiam. Definitio
à nonnullis, *id quod habet essentiam*. Hæc definitio
nomine, quod tautologica sit, cū n. ipsa essentia
juxta definitionē Entis habeat essentiā. Ver-
liberari posse ab hac infamia, si dicas, q. simili-
datur definitio, ut quidditas habet quidditatem
cum quid dicitur, non absq; quidditate ita di-
sentia absq; absurditate & tautologia dicitur
priam essentiam, naturā & definitionem, quæ e-
tia. Non tamen absolutè bona est, saltem ideo
sentiam denotet subiectum cum essentia conj-
ita dividi præ simplicitate nimia non posse sup-
quidem participiale & Entis species rectè dicitur
tiam, quia in illis dari potest subiectum saltem r-
ab essentia, tanquam habens ab habito, sed id n-
plicissimo & abstractivo Entis conceptu.

§. 13. Alij definiunt Ens, quod *possit esse in*
mentu operatione & cogitationem. Obijcitur. Per h-
excluduntur 1. Cogitationes, conceptus for-
mentis quæ sunt entia realia, quia ut qualitates r-
inhærentes, esse suum in mente habent, nec
tra mentem. 2. Excluduntur Entia actu: & soli
Entia realia, quæ sunt in potentia. 3. Entibus r-
rantur privationes. R. ad 1. Cogitatio & omnia
te, omnino possunt esse citra cogitationem, p-
possunt esse, etiamsi tu non cogitas ea esse. Ad
esse, aliud est esse in potentia. Hoc excludit
Illud actum non includit nec excludit, sed dic-
tiam: ut dicere liceat, etiam cum sol actu mo-
B



the scale towards document
B
Jam
atur
num
tio-
nem
vum
hoc
fen-
huc
onis
tias
a ef-
pro-
nan-
ef-
Ens
Ens
fen-
cum
im-
tra
em
itus
iter
ex-
tur
ne-
ca-
c.
offe
ndi.
an-
test
ve-